

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0987

0985

0991

0981

0996

0976

1036

0936

1086

0886

0486

Ende

Anfang

414

Deinde in desertiora loca venimus, et incepit regio magis ac magis deserta et inhabilis fieri. In locum autem quendam venimus, in quo videbatur fuisse concursus multarum aquarum, quasi lacus ibi fuisset, et ibi erant multae foveae magnae ex aquarum decursu factae, et licet regio ibi esset plana, terra tamen erat distortissima, et oportebat nos sine intermissione ascendere et descendere cum magna fatiga. Porro in meridie veram regionem vastae solitudinis attigimus, in qua profecto non habitavit homo nec habitare potest. De planicie enim montana ascendimus in terram solis ardoribus adustam et penitus infructuosam, montibus scopulosis et collibus arenosis, torrentibus saxosis et horribilibus plenam. Intrantibus autem nobis solitudinem habuimus obviam karravanam i. e. exercitum hominum cum camelis et asinis et vehementer expavimus timentes, eos esse latrones eremi. Sed cum convenissemus, nullus se movit contra nos et cum silentio ambae turmae se invicem pertransibant. Valde enim formidulosi fuimus ad quorumcumque contravenientium aspectum, quia multa mala fuerunt nobis praedicta, quae passuri essemus ab Arabibus per desertum. Post hoc in quendam districtum venimus et a longe tentoria (**b**) et tabernacula vidimus secus viam nostram, quibus visis contrastati fuimus et ad sustinendam tribulationem nos praeparavimus, non enim est ibi locus praeparandi se ad defensionem vel ad repugnandum, sed solum ad patienter sustinendum et ad succumbendum. Cum ergo ad illa tentoria venissemus, stabant quidem ante tentoria viri nigri orientales cum lanceis, parati ad se defendendum, non ad invadendum, et nos respiciebant, nec verbum unum loquebantur nobis. Celeriter ergo eos cum silentio pertransivimus contenti de eorum quiete, sicut et ipsi de nostra, si quidem et ipsi formidabant.

In processu ulteriori venimus in campos adustos et latos, per quos ad magnum spatium patebat inspectio deserii. Et vidi mus in multis locis prope et longe a nobis fumos quasi ab ignibus ascendentes, de quibus perterriti fuimus, quia putavimus, ignes illos esse exercituum et turmarum Arabum. Sed Calinus dixit nobis, et experientia nos edocuit, quod in illis locis nec homo nec ignis esset, sed venti flantes turbines

